Quelle: https://manuscripta.at/?ID=468
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

et ego novissimus. ego alfa et w. et
absque me non est deus. quia puer quem ele-
gi in me deus est. de quo supra dixi. ecce
puer meus quem elegi. electus quem sus-
cepit anima mea. iudicium gentibus
proferet. et in nomine eius gentes spe-
rabunt. Nec dicit esse se solum. sed preter
virtutem suam atque sapientiam nullum
esse extremum deum. deorumque multorum opi-
nionem et symulachra condempnans
quis inquit similis mei est? Vocet ea
que non sunt quasi sint, et exponat ordi-
nem creature mee. quia cuncta ratione
libraverim. ex quo feci hominem super
terram. Nec hoc solum volo, sed quero
etiam scientiam futurorum. Unde et tu
israhel. cuius ego rex et redemptor sum,
noli timere symulachra que esse
nichil in syna monte didicisti. An
forsitan creator est alius quem ego non
cognoverim. aut preter hunc alius
est mundus. qui ignoti dei monstret
potenciam. Neque enim ea solum que fi-
unt, sed et illi qui faciunt habebuntur
pro nichilo. Cumque vindicte tempus
advenerit. nequaquam poterunt eos ma-
nuum suarum opera liberare, que ce-
ca et insensibilia confundunt artifi-
ces suos. Quis enim possit hoc dicere
quod ascia lima et terebro malleoque
formetur deus vel in prunis symulachra
fundantur vel norma runcina et angu-
laribus circinoque inductos repente con-
surgant. presertim cum fame et siti
artificis vilitas demonstretur. Fit enim
lignea statua humanam exprimens
speciem. et quanto pulchrior fuerit tan-
to putatur deus augustior: ponitque in
fano et eterno clauditur carcere que
longo tempore crevit in saltibus et
pro varietate arborum cedrus et ilex
et quercus vel pinus fuit. Mirum quippe in
modum segmenta eius atque rasure
mittuntur in focum. ut calefaciant
artificem de eo. et coquant diver-
sa pulmenta. pars autem altera formatur
in deum. ut opere completo adoret il-
lam factor suus. et opis sui imperet
auxilium. nec intelligit nec reco-
gitat. immo nec carnis. nec men-
tis aspicit oculis quod non possit esse deus
cuius pars igne combusta est. nec
hominis manu fieri divina ma-
iestas. Pleniusque super irrisione ydo-
lorum propheticus sermo contexit que
facilis intelligentie sunt. nec lacini-
osam immo superfluam expositionem
desiderant.

Quod
quod autem de ydolis dictum est potest refer-
ri et ad hereticorum principes qui symu-
lacra dogmatum suorum atque menda-
cii artifici corde conponunt. et ve-
nerantur ea que sciunt a se esse symu-
lata. nec sufficit eis error proprius
nisi simplices quoque eorum adoratione
deceperint. qui questum putant esse
pietatem. et devorant domos vidu-
arum. abeuntesque vulgi imperita